

OBSERVATIONES AD TACITI AGRICOLAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA,

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITTERARUM UNIVERSITATE CAESAREA
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

RITE IMPETRANDO

CONSCRIPSIT ET DEFENDET

Demetrius Krjukow Dr. Cand.

CASANENSIS

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu
703/10

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXII.

1232


I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, quinque exemptaria collegio, cui librorum exploratio mandata est, tradantur.

Dorpati d. 21. Novembr. 1832.

Dr. Blum,
Decanus.

Est-A



14 299

DILECTISSIMO PATRI

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIA MENTE

CONSECRAT

AUCTOR.

LECTURIS SALUTEM.

Licet nemo facile sit, qui existimet, me, in his litteris tironem, ad has observationes conscribendas ea spe animum appulisse, ut majora, quam ceteri praestarem; est tamen, quod meum in hac commentatione consilium, tum unde illud mihi venerit, paucis aperiā. Cum hiemalibus anni praeteriti feriis in eo essem, ut Taciti mei lectionem, quem tum forte tractabam, absolverem, jam demum ad praestantissimam, quam nobis reliquit Tacitus, socii sui imaginem contemplandam veniens, non magis elegantiarum, quam doctrinae avidus, commentarium Walchii doctissimum, qui ceteros Taciti interpretes longe post se reliquerat, auxilio vocavi. Mi-

ranti mihi summae doctrinae et ingenii copiam, quos luculenter testatur fere omnis Walchiani operis pagina, tamen fieri non poterat, quin in quibusdam cum Viro doctissimo dissentirem. Etenim profecto incredibile illud esset opus, neque humanis condendum viribus, in quo cum tanta sit rerum tractatarum varietas, ne semel quidem infirmitatis humanae naturae, cujus errare est, signa prodita essent. Quas meas dissensiones, vel observationes, quales sub calamo nasci solent, primum in Taciti mei margine adnotatas, tum crescente in dies copia, in unum collectas, per sat longum temporis spatium, in scriniis meis delitescere sivi, alia omnia potius sperans, quam ut aliquando in lucem prodirent. At citius, quam exspectari poterat, cum examine rite peracto dissertationem Amplissimo Philosophorum ordini Caesareae Universitatis Dorpatensis tradere jussus, haud satis mihi temporis

relictum esse ad novum aliquod inchoandum opus viderem, antiquam telam per texere melius ratus, commentarii in aliquot Agricolae locos rudera e scriniis promere coactus fui. Tum non subsecivas otii horas, sed omne fere, quod mihi restabat, tempus eo impendere studui, ut observationes meae, quantum fieri poterat et Amplissimi ordinis iudicio et eo, quo destinatae erant consilio, dignae in lucem prodirent. — Quod num praestiterim, penes alios iudicium esto: mihi vero restat, ut si quid justae in me reciderit vituperationis, quod ne magnum sit, est quod verear, ea, qua par est, animi submissione, me excepturum esse profitear. Et ut aliqua certe absit vituperationis pars, commemorasse juvat, me praeter insignem Walchii commentarium, Woltmanni versionem, Observationes Doederlinii, et quas (sero quidem, proh dolor!) suppeditavit mihi liberalitas doctissimi Viri, Th. J.

Freytagii, ph. D., Dronkii et Gronovii
editiones, ceteris hujus generis subsidiis,
quae tum singulis comprehensa libris, tum
doctis ephemeridibus inserta, in lucem
prodierunt, prorsus caruisse. Scr. Dor-
pati Livonorum. Anno MDCCCXXXII.
a. d. IV. Id. Novembris.

OBSERVATIONES AD TACITI AGRICOLAM.

Cap. 1.

Quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium, parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam.

Male Barclajus: *vitia*. Neque rectius tamen Walchius egit, cum *ignorantiam recti* ab *invidia* sejungeret, duplicem causam Tacitum statuisse censens, quare clarissimi viri, gloria quam meruissent, fraudarentur: tum, quod, aequales eorum, id, quod rectum est, non intelligerent, tum, quod ipsorum merita invidia prosequerentur. Ut jam id mittamus, *ignorantiam recti* male a Walchio intellectam esse (hanc enim *das Verkennen des Rechten* potius, quam *Unkunde* et *Unverstand*, si Germanico utamur sermone, significare et totius loci sententia et frequentissimus verbi *ignorare* apud scriptores Latinos hoc ipso sensu positi usus satis superque arguit. cf. Schelleri Lex. maj. s. v.) ora-

tione tantum disjunxisse Tacitus, quasi per ἴδια δὲ αὐτῶν, putandus est, quae eadem in mente sua conjunctim cogitasse eum vel ille singularis numerus: *vitium* docet. Neque id aliter fieri potuit, cum nemo facile aliam causam sibi fingere possit, cur aliorum merita et virtutes non agnoscamus, quam invidiam. Valet verò utrumque *ignorantia recti* atque *invidia* idem fere, atque *invidiosa* (ut poëtae loqui solent) *ignorantia*.

Adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur.

„Denn die Tugenden“, etc. Particulae *adeo* probando inservientis exempla cum ante Ciceronem, tum ejus aetate haud infrequentia sunt. Terent. Heaut. I. 4, 57.

Ego té meum esse dici tantispér volo,

Dum, quód te dignum 'st, facies, sed si id
nón facis

Ego, quód me in te sit fácere dignum invénero.

Nulla *adeo* ex re istuc sit, nisi nimio ex
otio. —

Virg. Ecl. IV., 10.

Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque *adeo* decus hoc aevi, te Consule inibit.
Liv. II. 27. Id. ib. 28. VIII, 37. Tac. Dial, de
Oratoribus II, 24. De his vide Handii Tur-

sell. p. 160. Ceterum e loco illo Terentiano falsum esse virum doctissimum sponte patet, cum post Ciceronis aetatem hunc particulae *adeo* usum invaluisse perhiberet.

Cap. 2.

At mihi, nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit.

Quorsum illa venia spectet, id, ut extorquerent huic loco, haud semel interpretes operam oleumque, quod ajunt, perdidisse videntur. Quorum omnium opiniones, excepto Walchio, loci angustiis impediti si prorsus mittemus, alia omnia potius, quam eorum rationes probantes, id neminem, qui eas norit, in malam partem interpretaturum esse puto. Quod ad Walchii rationem attinet, quid sibi velit, me prorsus non perspicere neminem celari volo; id, quod aegerime fero, cum ex ceteris ejusdem operis locis probe cognoverim, gravissimam Viri amplissimi auctoritatem esse.

Minus vero, quam par est, attenderunt animum interpretes ad id, quod additum est: *defuncti*; quod, si eorum rationes sequaris, omnino vacuum est. At in eo omnis antitheseos vis posita est. Quae ut demonstretur, senten-

tiarum ordinem atque nexum examinemus necesse est.

Priusquam ad vitam soceri sui describendam accessit Tacitus, certiores fieri voluit lectorem, aliam fuisse conditionem suam, statim post abolitam tyrannidem scribentis, atque eorum, qui antiquis temporibus in eundem campum excurrerent. Quare in ipso operis sui limine praestantissimum comparationis exemplum prodidit aetatem suam cum antiquorum temporibus conferendo. Primum vero omnium tenendum est, in oratione ita constituta, cuique scriptori id potissimum spectandum esse, ut comparationis aut antitheseos partes aequales, certe intensive (sit venia verbo) ubique sint et sibi invicem respondeant; eo magis verendam, ne qua forte pars alteri parti, cui opposita est, minus bene respondeat, aut omnino desideretur. Quod, si de quovis auctore in genere diximus, num a politissimo scriptore, cuiusque in antithesibus tanta vis est, non idem postulabimus? Hujus memores singula antitheseos membra, ut res clarior fiat, ante oculos sistamus.

a.

*Clarorum virorum facta moresque posteris
videre antiquitus usitatum.*

a.

Ne nostra quidem omisit aetas, quamquam incuriosa suorum, quotiens magna aliqua virtus invidiam supergressa est.

b.

„Sed apud priores, ut agere memoratu digna prouum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum, conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt. Adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur.“

Haec de prioribus: quid vero de sua aetate? Id sequentibus complexus est Tacitus: *„At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit.“* Quae si quis paullo prolixius copiosiusque exprimere vellet, ita fere audirent:

b.

„At (longe alia est nostrae aetatis indoles, cujus nescio an maior sit in aestimandis virtutibus iniquitas, quam in iisdem proferendis sterilitas, ita, ut) mihi nunc non meam propriam (ut Rutilio et Scauro) sed alius hominis, ejus-

que jam defuncti vitam narraturo venia poscenda sit.“

c.

„Ceterum ne nunc quidem, quamquam virtutis negligente atque incredula aetate, petissem hanc veniam, nisi incusaturus tam saeva tempora, quibus Agricola floruit.“

Non dubito, quin ita loco explicato, et antithesi illorum: *suam ipsi vitam narrare et vitam defuncti hominis narraturo* clariore reddita, perspici possit, quo illa venia spectet. Quis enim non videt eam periodum, quam locus noster excipit: „*Sed apud priores etc.* *gignuntur* alteram antitheseos partem, quae ei respondeat, necessario requirere? quae profecto deerit, vel vacua erit, si aliter explicetur locus.

At mihi venia opus fuit.

Multiplicem obtinet vim Latinorum Perfectum, ita ἀοριστικῶς positum. Cujus hic explicandae negotio libenter supersederem equidem, nisi vidissem, Virum doctissimum Walchium in adnotatione sua ad locum Agr. c. I. „*omisit*“ etc. aliorum prementem vestigia miscuisse per multa, quae non eodem pertineant. Quare haud a proposito meo alienum esse videtur, accuratius inter se discretos eos omnes hic attulisse casus, ubi Aoristi Graeci vim mentiri videatur Latinorum *Perfectum*; praesertim cum eadem

haud parum etiam ad alios Agricolae locos, c. 1, 4, 3, etc. explicandos valeant.

1. Frequentissimus est *Perfecti aoristici* usus, in iis dictis, quae *communia* nuncupant; quod tum Germanico *pflegen* exprimere solent. Cujus Perfecti ea est ratio, ut ibi imprimis ponatur, ubi de re aliqua vel actione, quia locum ea aliquoties habuit, per analogiam colligitur eam semper fieri posse. Cf. Herm. de emend. rat. Gr. Gramm. II., 19, p. 189. Ita Hor. Od. III., 29, 13. Maecenatem ad coenam invitans, canit:

*Plerumque gratae divitibus vices;
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis et ostro
Sollicitam explicuere frontem.*

Quasi ita ratiocinaretur poeta: „*gratae sunt divitibus vices; mundaeque pauperum parvo sub lare coenae possunt explicare sollicitam frontem; id quod ex eo colligi potest, quod aliquando explicuere.* Hor. Epist. 1, 2, 48.

Non domus et fundus, non aeris acervus et auri Aegroto domini deduxit corpore febres. Quintil. VIII. 3, 30. Tac. Agr.

Non semper errat fama, aliquando et elegit. Graeca exempla vide apud Matthiaeum. Gr. Synt. p. 703. ed. pr. *)

*) Eadem etiam Participii perfecti ratio esse vi-

2. Usurpatur Latinorum Perfectum pariter atque Graecorum Aoristus de actione aliquoties repetita eodem temporis spatio, quo alia quaelibet actio locum habet, vel habuit. Agr. I. *Ne nostris quidem temporibus, quamquam incuriosa suorum aetas omisit* (sc. clarorum virorum facta posteris tradendi morem) *quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium* etc. Plat. Gorg. p. 526. c. Ἐνίοτε δ' ἄλλην εἰσιδὼν ὁσίως βεβιωκυῖαν — ἠγάσθη τε καὶ εἰς μακάρων νήσους ἀπέπεμψε, sc. quotiens vidit. Hom. Epigr. p. 968. Wolf. Cic. de Div. 1, 8.

Fuscaque nonnunquam cursans per littora cornix, Demersit caput, et fluctum cervice recepit. Xen. Cyr. 1, 2, 2, ἦν τις τούτων τι παραβαίνη, ζημίαν ἐπέθεσαν. Tac. Ann. I, 58. *Ex*

detur, quod aliquando eandem vim atque adjectiva in *illis* possidet. Tac. Agr. c. 33. *vix coërcitum militem* dicit eum, qui disciplina haud facile coërceri potest. Walch. ad Agr. c. 33. Quibus commode comparaveris Graecorum Adjectivi verbalis usum; veluti: Hom. II. VIII. 266. *παλίνονα τόξα τιτάωνων*. Ubi rectius, quam ceteri interpretes, non de *arcu tento*, sed de eo *qui tendi potest*, cogitavit vir doctissimus Passovius in Lex. Gr. s. v. *παλίνονος*.

quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delogi. Hunc casum, id quod miror, Hermannus in sua dissertatione supra laudata ne verbo quidem attigit, Walchius vero aequae atque sequentem male cum priori confundit.

3. Ponitur nonnunquam instar Graecorum Aoristi (quasi loco Praesentis), ubi designat actionem certam, et statim praeteritam, cujusque nulla mutatio esse possit, ut bene observavit Matthiaeus l. l. p. 706. cf. Herm. l. l. p. 195. Ter. Hec. IV. 3, 5. *I ergo intra, et compone, quae tecum simul ferantur. Dixi.* Soph. Electr. 668. — ἐδεξάμην τὸ ἑηθέν. Id. Aj. 536. ἐπήνεσ' etc. Eodem referendus esse videtur locus Taciti, Agr. c. I. *Mihi vero venia opus fuit.*

4. Alius est, neque cum praecedente confundendus Latinorum Perfecti, pariter atque Graecorum Aoristi significatus, cum actionem aliquam, mente tantum conceptam, alia finita futuram, ut jam perfectam et absolutam designant. Talem Aoristum Graecorum male cum Futuro confudisse Grammaticos antiquos, jam ante me monuerunt alii. cf. Herm. l. l. 190 — 194. Cujus significationis exempla si in utriusque linguae scriptoribus invenimus, id haud alii rei tribuendum est, quam vividiori antiquo-

rum phantasiae, quae actiones mente tantum conceptas atque futuras tanquam jam locum habentes, immo absolutas sibi fingere solet. Cic. Fam. 12, 6. *Brutus si conservatus est, vicimus.* Hom. II. δ. 158.

ἐκ τε καὶ ὄψι τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
 σύν σφῆσιν κεφαλήσιν, γυναιξί τε καὶ τεκέσσιν.

Recentiorum linguarum eadem ratio est, nisi quod Praesente loco Praeteriti utuntur: *Wenn er nicht kommt, so sind wir verloren.* — *Si'l ne vient pas, nous sommes perdus.* Nostrates omnium proxime: *если онъ не придетъ, мы погибли.*

His commode fortasse comparaveris Latinorum Plusquamperfecti et Perfecti, immo Imperfecti in protasi conditionis saepius negativae, nonnunquam affirmativae usum. Veluti: Agr. 37. *Britanni degredi paullatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quatuor equitum alas venientibus opposuisset.* Plin. Pan. XXXI. *Actum erat de fecundissima gente, si libera fuisset.* Ib. VIII. 5. *Atque adeo temere fecerat Nerva, si adoptasset alium.* Tac. Ann. 1, 35. *Elatum ferrum deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent.* Ib. 42. *Nos, si Hispaniae miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat.*

II. 63. *Trudebanturque in paludem, gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset. Immo non aliena est ea vis Praesenti, loco Perfecti posito. Tac. Ann. II. 22. Mox bellum in Angrivarios Stertino mandat, ni deditionem properavissent.*

5. Deinde loco Plusquamperfecti positum respondet Graecorum Aoristo Latinorum Perfectum, cum actio aliqua jam perfecta, nulla ratione ad alias habita, quae eodem, vel sequenti tempore locum habuerunt, describitur. Buttm. Gr. Gram. p. 314. Not. I. — Tac. Ann. 1, 53. Litterae, quas Julia patri Augusto, cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur. Id. Ib. II. 1. Libertas, ut laetior esset, proximi regis superbia fecerat. Nam primi ita regnarunt, ut haud immerito omnes deinceps conditores partium certe urbis numerentur.

Cap. 3.

Non tamen pigebit vel incomposita ac rudi voce.

Haec auctoris professio non ad stilum inexercitatum et parum excultum spectat (quem injuria, me quidem iudice, in hoc potissimum

Taciti opere deprehendit Walchius p. 130) sed ad animi sensus, longa servitute oppressos, ad silentium damnatos, ac paene torpentes. Jam enim 14 ante hoc opus scriptum annis summi oratoris laude sibi parata, ut vel Plinio, aequali suo, dignus esse videretur, quem ad imitandum sibi deligeret (Ep. VIII, 20, II, 11), mirum profecto modestiae exemplum proderet Tacitus, si ita inexercitatum se esse professus esset. Sed erat, cur timeret auctor, ipse *adempto per inquisitiones vel loquendi audiendique commercio, per silentium ad senectutem venisse se* proficiens, ne, imparē se gravissimo libertatis praeconio praeberet.

Memoriam prioris servitutis ac testimonium bonorum composuisse.

Walchius: „*ein Gedächtniß voriger Sclaverei und ein Zeugniß jetzigen Glückes darzustellen.*“ Rectius sensum arripuisse mihi videtur Woltmannus, qui interpretatur VI, p. 16. „*dafs ich in dieser Einleitung neben unserm gegenwärtigen Heil der vorigen Sclaverei gedacht habe.*“ nisi quod ex illius interpretatione veram verbi *componere* vim non perspexisse eum haud temere conjicias. Non enim *neben einander darstellen* significat illud Taciteum: *componere*, sed potius: *vergleichen*, sensu qui-

dem rariori, sed jam Ciceronis aetate haud inusitato. cf. Schell. Lex. maj. s. v.

Cap. 4.

Quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum habuerit, etc.

Lipsius, incertum unde, edidit: *habuerat*. Quod, quidem ferri potest, sed haud necessarium est. Vulgatam enim cum Walchio vitiosam appellare, ne praeproperum sit, vereor. Quid? si ea tantum Coniunctivum requirerent, quae hic deesse vere quidem observat Walchius: quantum locorum damnandum esset, qui tamen communi auctoritate codicum sanciti vel sic bene se habeant? Instar omnium satis est provocasse ad Cic. Tusc. IV, 19. *Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset.* Quintil. IV, 4. Liv. VI, 11. *Et non contentus agrariis legibus, quae materia semper tribunis plebis seditionis fuisset, fidem moliri coepit.* Qui omnes loci, pariter atque noster hic locus, iis adnumerandi sunt, ubi Coniunctivus ponitur, cum is, qui narrat, non suum proprium iudicium de re narrata affert, sed aliorum. Cf. Athenaeum. Wachsm. II, 2, p. 30 et Zumptius Lat. Gramm. p. 549, quibus utrumque exemplum a me allatum debeo. His adde, quos

Dronkius laudat, locos: Cic. Acad. 1, 10, 35.
Suet. Caes. 67.

Cap. 6.

**Diligentissima conquisitione fecit, ne cu-
jus alterius sacrilegium respublica, quam
Neronis sensisset.**

Illud Plusquamperfectum per enallagen tem-
porum Perfecti loco positum esse censebat Krue-
gerus. Cf. Unters. aus dem Gebiete der Lat.
Sprache. II, 395. At acumen aliquod inesse
putaverim, et videtur mihi Plusquamperfectum
illud ejusmodi esse, quo jubeatur quasi is, cui
sentiendum erat, cum de quo sentiebat, prae-
terito tempore locum habuisset, eo quoque ani-
mum suum transferre. Quo factum est, ut sen-
tiendi actio, licet inquisitione posterior, cum ta-
men ad rem quae antecesserat spectet, et ipsa
ad tempus dudum perfectum remota sit. Simi-
les loci sunt: Plin. Paneg. XII, 2. *Accipimus
obsides ergo, non emimus: nec ingentibus da-
mnis immensisque muneribus paciscimur, ut
vicerimus.* Id, Ib. XXVIII, 2.

Cap. 8.

Habuerunt virtutes spatium exemplorum.

Non erat, cur anxius esset Walchius de

probanda constructione: *habuerunt spatium exemplorum*. Nihil usitatus Latinis. Satis est provocare ad difficiliora. Cf. Ter. Hec. *Ubi-
cunque datum erat spatium solitudinis*. Cf. Tac. Ann. VI, 43. *Dedit spatium exuendi
pacta*.

Exemplum vero est id, quo virtus aliqua sive vitium comprobatur et quasi in lucem editur; ut vel illud Ciceronianum docet: *exemplum severitatis edere*. ad Q. F. 1, 2. *Ad exemplum ambarum mores earum existimans*. Ter. Hec. Quem Terentii locum Bentleji emendatione non egere jam Reinhardtus ad h. l. monuit. Quam tamen ipse sequitur rationem verendum est, ut cui persuadeat veram esse. Mihi vero ita explicandus esse videtur locus: „*Ut vel qualem utraque ostenderit se in agendo, ex eo mores earum existimans*.“

Ardoremque compescuit, ne increceret.

Ne increceret. Epexegetis est ad priora: *ardoremque compescuit*. Bröterius his acumen quoddam inesse putat, cuius sententiam probavit Dronkius.

Modo labores ac pericula communicabat.

Cf. M. Flor. Declam. (quas vulgo Quinti-

liano tribuunt) VIII, 6 ad f. *Solos ergo communicabit misera planctus.* Cic. ad Fam. 1, 7. *sua sponte de te communicare solet.* Plerumque tamen objectum additum invenitur, licet verbum varias patiatur constructiones. Plaut. Mil. gl. 1, 1, 50. *Communicabo te semper mensa mea.* Caes. III, Bell. Civ. 18. *Quibus communicare de magnis rebus Pompejus consueverat.*

Cap. 9.

**Tristitiam et arrogantiam et avaritiam
exuerat.**

Codices omnes ad unum et editiones antiquae *avaritiam* exhibent. Locum corruptum esse jam Acidalius sensit, licet non meliorem *medelam* et ipse adhibuerit *amaritiam* conjiciens. Namque istam *πικρότητα δυσδιάλυτον πολὺν χρόνον ὀργιζομένην* duci non convenire, quisque libenter dabit Walchio. Oberlino, qui Tan. Fabrum (ep. 11, 18.) secutus est, vulgata lectio eo sensu, quem vulgo huic loco extorquere solent, tam parum ferenda visa est, ut leges Latinitatis migrare mallet, quam in aliorum interpretum sententiis conquiescere. Lectionis vulgatae acerrimum se defensorem praebuit Walchius. Qui Doederlinum avaritiam severitatem

in exigendis tributis esse existimantem reprehendens, nihilo minus tamen hujus vestigia pressit *), quin etiam Doederlini, sensum plane inauditum *avaritiae* tribuentis errorem in sua interpretatione incautus cumulavit. Jam vero recte dicitur exui *tristitia* et *arrogantia*, ut quae profecto a magistratu quolibet judiciorum tempore indui possit et debeat; sed *avaritia* non item. Quid enim est aliud *avaritia*, nisi ea animi humani cupido, quae bona undique sordide conquirat, idque in proprium usum et cum quadam delectatione. Quem vero unquam magistratum dixere Romani avarum, qui bono tantum publico prospiciens, in vectigalibus cogendis severum se praestiterit? Dicuntur avari Verres et Crassus, sed ut in proprium usum rapaces. Ne ipse quidem Vespasianus, cujus mandata scilicet exsequentem Agricola avarum quodammodo appellari potuisse perhibent, ne ipse ille quidem, inquam, ideo avarus dictus est, quod fiscum bellis intestinis exhaustum auxerit, sed quod pecuniae acervis accumulandis delectatus fuerit. At, quid multa? si illam avaritiam exuisse interdum Agricola dixisset

*) Cf. p. 172. not. 1. quae confer cum p. 173: „*avaritia*, als der strengsten von Vespasian gebotenen Genauigkeit.“

Tacitus, tum etiam induisse eam officii tempore, ut alia, significasset. Noster vero Tacitus nihil tale exhibet. *Ubi conventus*, inquit, *ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus et saepius misericors*. Huc accedit, quod Adjectiva *gravis* et *intentus* in priore orationis parte *tristitiae* et *arrogantiae* in posteriore quodammodo respondent. *Severus avaritiae* non item. Si igitur *avaritia* ferenda non est, lectionem hanc quoquo modo mutandam esse apparet. Acidalii emendationem infeliciter cessisse supra vidimus. Si vero in *severitatem* mutetur *avaritia*, ut locus hic et praecedentibus: „*ubi conventus*, etc. *gravis, intentus, severus*, etc. et sequentibus: *severitas ei amorem non deminuit*, plane respondeat, hanc emendationem longius repetitam esse ne quis dicat, non vereor. In hac igitur, donec meliora inveniantur, conquiescere malo. Ceterum non is sum, qui huic conjecturae multum tribuam.

Nullis in hoc suis sermonibus.

Walchius: „*nicht weil dies sein Gerede*“, ita ut jure suspiceris, credidisse Virum doctissimum, *in hoc* idem fere valere atque *de hoc*. Non vero id solum dicere voluit Tacitus, nullos ab Agricola de sua destinatione sermones sparsos, sed etiam: *nullos sermones ab Agri-*

cola sparsos eo consilio, ut hoc fieret.“ Designat enim in ita junctum consilium, quocum aliquid fiat. Liv. 1, 8. *In spem magis futurae multitudinis, quam ad id, quod tum hominum munirent.* Id. XXI, 45. Vell. Pat. II, 41. *Caesar apud piratas ita se gessit, ut nunquam aut nocte, aut die excalcearetur, aut discingeretur, in hoc scilicet, ne suspectus foret.* Tac. Agr. 8. *Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit.* Apud antiquiores, quod sciam, Particula *in* vim illam nondum obtinet.

Cap. 10.

**Spatio ac coelo in orientem Germaniae, in Occidentem Hispaniae obtenditur, Gal-
lis in meridiem etiam inspicitur.**

Jure notavit Woltmannum Walchius, *spatio ac coelo* Dativos esse censentem. Non negaverim tamen discrimen, quod statuit vir doctissimus Woltmannus inter utrumque *) *spatio*

*) Woltm. VI, p. XXI. „Tacitus drückt sich geflissentlich aus, mit *Raum und Himmel*, um anzudeuten, daß man von Britannien her weder von der deutschen, noch der spanischen Küste etwas wahrnehme, aber ein Land-

ac caelo obtenditur et inspicitur, haud prorsus huius loco deesse. Certe, quam Walchius dedit, interpretatio falsa est, cum ea sit Particulae *etiam* ratio, ut ei jungatur vocabulo, ad quod proxime spectet. Nam ut sit: „*wird sogar geschaut*“, quae vera auctoris sententia fuisse videtur, scripsit Tacitus: *etiam inspicitur*; si vero id, quod Walchio placuit, vellet: „*von den Galliern auch wird gen Mittag es geschaut*“, ita verborum ordo invertendus erat: *etiam Gallis in meridiem inspicitur*. Longe alium sensum praeberet locus, ita constitutus: „*Gallia etiam in meridiem inspicitur*.“

Cap. 10.

Conferre injurias et interpretando accendere.

Walchius: „*erbitterten sie (Unbilde) durch Auslegung*.“ Rectius: „*vergrößerten sie*.“ Cf. Tac. Ann. 1, 22. Incendebat hanc (orationem suam) fletu et pectus atque os manibus

streif von ihm (spatium), und ein Himmelstreif von ihm sich gegen Germanien und Hispanien strecken, ganz in Gegensatz zu den Galliern, die südlich Britannien im *Ange-*
sicht haben.“

verberans. Ib. 69. Accendebat haec onerabatque Sejanus.

Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus Legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret.

Ernestius postulabat: *saeviat*. Sat erit monuisse *Imperfectum* eodem jure hic stare, atque ea quae sequuntur: *aemularentur, pavescerent, detinerent*.

Nihil jam libidini, nihil cupiditati exceptum.

Cupiditas est, ut Cicero ait, Tusc. IV, 31. effusio animi in appetendo, ut libido in agendo. Ita idem de iudicibus, qui pro arbitrio contra jus sententiam ferunt: libido iudicium. Cluent. 22. At ibidem de Senatoribus, qui ab avaritia et pecuniis captis integri erant: qui sine cupiditate vixerunt. Cluent. 55. Idem Verr. IV, 52. libidinem continentiae opponit. Cluent. 55. cupiditatem integritati et innocentiae. Male distinxit utrumque Habichtus in Synon. p. 250.

Cap. 17.

Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem J. Frontinus.

Walchius vertit: „selbst eines andern Nach-

folgers.“ Est vero *quidem* Particula concessiva: und da *Cerialis* wohl eines andern, etc. Cic. Ep. ad Brut. 3. Curt. III, 12. Cic. ad Div. VI, 2. Liv. XXV, 22. Curt. X, 9. et sexcenta alia. *Sustinuit quoque*; interpretor: *sogar hielt die Last*. Ita Curtius VIII, 8. *sepultura quoque prohibitori*. Plin. XIV. 5. *Alienisque virtutibus tunc quoque invidus Imperator, cum ope earum indigeret*. Est vero totius loci sententia: „non modo se sub pondere obrui passus non est J. Frontinus, sed etiam sustinuit onus.“ Ut vero Walchianum: „hielt auch Frontinus“ habeamus, ita textum constituamus necesse est: „Jul. Frontinus quoque sustinuit.“

Cap. 18.

Et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum aut opperiri.

Ita omnium primus Broterius; alii: *ut quibus*. Cum utraque codicum *) lectio sit, lego: *et, ut quibus bellum volentibus erat*. sc. und nach dem Maasse, wie jeder den Krieg wünschte, billigten einige den Vorgang, (ii scilicet,

*) Edit. veteres: *ut quibus*; Cod. Vat. 3429 et *quibus*.

qui majori cupiditate bellum gerendi incensi erant), *einige aber warteten die Sinnesart des neuen Legaten ab.* Cf. Tac. Ann. 1, 58. Ib. II, 73.

Praesumta apud milites illius anni quies.

Explico: *militibus annum hunc quietum fore sperantibus.* Cf. Virg. Aen. XI, 18. *Arma parate, animis et spe praesumite bellum.*

Cap. 19.

Frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire.

Walchius: *erhöhte Getraidelieferungen und Steuer.* Fugit sane Virum doctissimum, *auctionem* hoc significatu, solius Macrobiani auctoritate probato, apud scriptores Latinos ne semel quidem inveniri. Quare tutius esse videtur *exactionem* restituere, quod Vaticanus uterque, alter in textu, alter in margine, praebet.

Cap. 20.

Sed ubi aestas advenit, contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam, etc.

Monet me illud, quod sequitur: „*disjectos*

coërcere“ ut vulgatae: *multus in agmine* Rhemani conjecturam praeferam, ut alterum oppositum sit alteri: „*militum, qui non relinquebant agmen, laudabat modestiam, qui vero disjecti et dissipati irent, eos coërcibat.*“ Nescio an idem placeret Walchio, cum interpretaretur: „*lobt' im Zuge er Mannszucht von Soldaten, etc.*“

Cap. 27.

Ultrò quin etiã erupere.

Ita Brotierus e codice. Quam lectionem nescio an melius defenderit Ernestius, quam oppugnavit Walchius. Id tamen Walchio dandum, eruptionem e castris non factam, nisi postquam, proelio in ipsis portarum angustiis fervente, hostes pulsi essent. Non ea vero est semper verbi *erumpere* vis, ut significet eruptionem e castris vel castellis factam; sed nonnunquam etiã Germanicò respondet: „*den ruhigen Zustand verlassen, ausbrechen.*“ Ita Tac. Hist. II, 26. Tum Othonianus miles erupit. Utrumque igitur in textu (*irrupere* et *erupere*) pari jure stare potest. Crediderim tamen lectionem *erupere* doctiorem esse, quam ut a scribae manu profecta esse possit.

Cap. 30.

Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa; et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium et modestiam effugeris.

Infestiores. Ita Brotierus edidit e Vat. 3429, quod ab Ernestio et Walchio receptum est. Quae lectio ab eo profecta esse videtur, cui non succurrebat, quid lectio, me quidem iudicē genuina et interiores, quam teste Walchio p. 334 editiones ante Lipsium exhibent, sibi vellet. Sensus est: „et jam occupaverunt interiora“, sive penetrarunt in interiora Romani, att: „et jam prope nos sunt Romani“. Cf. Caes. B. G. V, 44. *Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt.* Ovid. Fast. V, 67. Cic. ad Qu. Fr. III, 1, 5; Liv. III, 10. *Interior periculo vulneris.* Id. XXXIV, 34.

Cap. 31.

Hi per delectus alibi servituri auferuntur.

Walchius, nisi omnia me fallunt, cogitavit de coloniis Britannorum in alias regiones *) mis-

*) Walch. p. 336. Britonen spürt Gannegüter de

sis. Sed intellexit Tacitus eos Britannorum, qui delecti in alias oras, contra alios Romani imperii hostes militaturi mittebantur. Quamobrem addidit auctor: *per delectus*. Ceterum antiquissimum illud erat Romanorum praeceptum, ut gentium sibi formidolosarum ope, contra alias, quibuscum bellum gererent, uterentur. Cf. Agr. 32.

At sicut in familia recentissimus quisque servorum et conservis ludibrio est.

Propter hunc locum emendavit Lipsius Suet. Caes. 47. *Servitia recentiora politioraque immenso pretio comparasse dicitur; decentiora conjiciens. At scrupulus ille statim solvitur, Apud Tacitum enim recentissimi servi sunt recens empti; apud Suetonium recens facti.*

Cap. 33.

Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis terga tuta esse.

Terga: sc. fugam. Ovid. de arte am. 1,

Brittenb. p. 57. aus der *Notitia Imperii* in Myricum, Gallien, Spanien; und an andern Orten auf: etc. So finden wir Sugamben in Thracien. Ann. IV, 47. Ligurier in Numidien bei Sall. Jug. 100.

207. Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam.

Et barbari moris cantu.

Vat. 3429: *ut barbaris. Vereor ne potius legendum sit: et, ut barbaris moris est, cantu.* Quis enim barbari moris cantus? Cf. Tac. Ann. 1, 56. Plin. Paneg. XIII, 3.

Cap. 34.

Reliquus est numerus ignavorum et metuentium, quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissime id et *) extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus, etc.

Ita codices et antiquae editiones. Locum corruptum esse omnes editores viderunt: quare mutatis nonnullis sensum qualemcunque elicere studuerunt. Quorum omnium conamina cum ex majore Walchii editione disci possint, ea hic commemorandi opera facile me supersedere pos-

*) Cod. Vat. 3429. Dronkio teste: *novissime res et.* — Ven. Alc. *novissime id est extremo metu.*

se arbitror. Quare proprias tantum hic rationes attulisse juvat.

Primum vero omnium monendum est, sensum loci, ut vulgata fert, non eum esse, quem Walchiana versio exhibet: „*die ihr endlich gefunden, nicht weil sie Widerstand leisten, sondern ertappt sind, als die letzten*“, quique unice verus est; sed potius hunc: „*Caledonier, weil ihr sie endlich gefunden, leisteten nicht Widerstand, sondern ertappt sind als die letzten*“. Quod quam absurdum sit, ipsi quo rei parum consentaneum, non est, quod moneam. Quare medelam loco afferendam esse puto, quae si a me petatur, eum ita constituerim:

„*reliquus est numerus ignavorum et metuentium, quos quod tandem invenistis, (non restiterunt, sed deprehensi sunt novissimi) torpidi defixere aciem in his vestigiis, in quibus, etc. haec nimirum sensu: „qui, quod tandem invenistis eos, (haud sponte restiterunt, ut ceteri, sed omnium Britannorum fugacissimi a vobis ipsis nunc demum deprehensi sunt, ut quibus nullum porro refugium sit) torpidi, etc.*

Ut vero perspiciatur, alteram loci partem:

„*torpidi defixere vestigiis*“ haud ad libidinem a me refictam, sed quibusdam causis adducto necessario ita emendandam esse videri; haec tenenda sunt: cum *metum* juxta *metuentium* positum frigidum esse viderem, eo ejecto in verioris lectionis vestigia inquirere studui, quam in sequenti *corpora* latentem, Ernestium ex parte secutus, jure mihi reperisse visus sum. Itaque *torpidi* reposui, quod in *torpore* corruptum, quam facile lectionis monstrum *corpora* peperisse potuerit, id ex interpretibus, ad Tac. Hist. IV, 24. ultro intelligitur. Itademum lectione *torpidi* restituta, in proximo erat, vulgatam *id et extremo* sive: *res et extremo* ex glossemate noviss^{xi}mi adscripto: *id est extremi*, cum exquisitius vocabulum explicandum esse videretur scribae, fluxisse. Unde autem lectio *metu* orta sit, non est, quod commemorem: namque nomine *torpidi* in *corpora* corrupto, quid propius erat, quam addere aliquid, in quo causa simul inesset et explicatio sequentium: „*corpora defixere aciem*“? Haec hactenus: quae, si quis meliora docens falsa esse probaverit, libenter meam δόξαν primus relinquam et meliora sequar.

Comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum.

Ita editt. antt. Walchius emendavit *reorum*, vix melius quam cetera ab eo allata. Grotius ingeniose conjecerat: *ceterorum*. Quam lectionem non erat cur damnaret Walchius. Tantum enim abest, ut ei sensus Adjectivi *alius* substituendus sit *), ut etiam illud ipsum *aliorum* sensu proprio vix tolerari possit. Si enim vere monemur a viris doctis (quod ut in dubium vocemus, vix aliqua satis idonea causa adduci possumus) *aliis* designari tantum eos, qui non iidem sunt, atque ii, a quibus sejunguntur; *ceteris* autem omnes ejusdem generis partes: quis non videt, *ceterorum* restituendum esse, cum totius loci sensus non eos requirat, quorum ratio et indoles diversae sint (id enim vel ipsa comparatio monet) sed omnes ceteros, qui vel provinciis tum praeerant, vel eas aucupabantur.

*) Walch. p. 401. „Bei Grotius *ceterorum* müsste man nach Stellen bei Livius suchen, wo *ceteri* an *alii* grenzt.“

Natus erat Agricola Cajo Caesare tertium consule Id. Junii: excessit sexto et quinquagesimo anno, decimo Kal.

Septembris, Collega Priscoque Coss.

Aut Consulatus Caesaris numerum, aut mortis Agricolae annum, corruptum esse, jam dudum censuerunt Critici *). Res tamen toties quaesita, toties disputata ad lucidum non perducta, et nunquam, puto, controversia torquere desinet homines, contentionis cupidiores, quam veritatis. Quod enim Walchius quasi suo jure

*) Walch. p. 412. „Caligulas drittes Consulat fällt auf das Jahr 793; Collegas und Priscus Consulat auf 846. Dann aber war der am 13. Juni 732 geb., am 20. August 846 gest. Agricola nicht im 56sten, sondern 54sten Jahr, nämlich 53 Jahr, 2 Mon., 10 Tage. So merkte schon Savilius an. Brotier (richtiger Pichon) nahm Verwechselung der Zahlzeichen LIV und LVI an; wirklich steht *sexto* in Vat. 3429 in Zahlen. So erhielt man 53 Jahr 71 Tage; oder Brotier schlug vor, aus Cajo *Caesare ter Cons* in *Pr. — Rhen.* (Ursinus zuerst, dann Lipsius schrieb *tertium*) zu ändern: „Cajo *Caesare primum Consule.*“ Quam Broterianam rationem sequitur Walchius.

sumpsit, eandem semper fuisse Romanis atque lege praescriptam in magistratibus post certa temporis intervalla obeundis religionem; id ita infinitum videtur, ut multum hinc circumcidi atque amputari possit. Et ut illud, quod ad numerum annorum attinet, minus aliquando accurate a scriptoribus definitum, valde ei assentior, ita hoc alterum, quod totum in magistratum, quos gessit Agricola, consecutione versatur, ut ei possim concedere vereor. Sed ut res magis in aperto sit, causas, quas in medium protulit Walchius et argumenta hic referentes, singulis nostras rationes opponamus; „Ein sicheres Datum giebt Agricola's Praetur. — Praetor war Agricola unter Nero; folglich vor dem 7. Juni 821. Zur Praetur gehörte nach Dio 53, 20 ein Alter von dreißig Jahren; das neun und zwanzigste musste zurückgelegt sein. Das Äußerste nun angenommen, A. hielt nach dem 23. August 820 um die Praetur an, müsste er jedoch im J. 791 geboren sein. Da aber dies eine Unmöglichkeit ist, weil Caligula in diesem Jahre Consul nicht war, so bleibt nichts übrig als anzunehmen, das Jahr 790 war A.s. Geburtsjahr, und wir dürften wol nicht zuviel schließen, wenn wir A.s. Praetur in's Jahr 820 setzen und den Auftrag von Galba zur Untersuchung der Tempelschätze in den Herbst 821. Dem

zufolge ordnen sich alle Staatsämter Agricolas in ihre gesetzmässigen Zeiten. Die Quaestur in's Jahr 816 nach vollendetem 25sten, das Volkstribunat in's Jahr 818 nach vollendetem 27sten, die Praetur nach vollendetem 29sten. Das Consulat nach vollendetem 39sten, wogegen bei der Annahme 793 als Geburtsjahr und einem vier und funfzigjährigen Alter A's nichts stimmt und wir unhistorisch besondere Begünstigung des Kaisers denken müssen, welche zur Quaestur einen noch nicht 23jährigen Jüngling beförderte.“ — Praetorem fuisse Agricola non modo ante 9. Junium a, 821, sed etiam 820 anno, ut Walchio placet, libenter concedo; neque id infitior, Dionem 52, 20 commemorare, ad praeturam adipiscendam XXX annorum aetate opus fuisse. Sed idem (53, 28) narrat, Senatum in gratiam principis, Plinius autem Ep. VII, 16, ipsum etiam Principem annos saepissime remisisse. Dio etiam L 111, 28. de gratia legis narrat *Marcello* facta atque *Tiberio* p. 527 E., *Druso* et *Caligulae* promissa a *Tiberio* p. 635. D. et A. *Lepido* a *Cajo* p. 957 D. Potuit igitur Agricola 27. vitae anno Praetor fieri, quod colligamus necesse est, si anno U. C. 793. natum eum esse statuemus. Hac etiam ratione apparebit gessisse, Agricola *Quaesturam* anno 817., vitae suae 24. et 25to,

Tribunatum Plebis U. C. 819., vitae suae 28., 27., Praeturam, ut jam vidimus, U. C. 820., vitae 27 — 28vo.

Walchius vero, anno inter Tribunatum et Praeturam falso interposito, refert Quaesturam ejus ad annum 816., Tribunatum ad annum 820. Quibus de causis id ab eo factum sit, omnino non perspicio. Neque enim ex Tacito tale quid conjici potest, cujus haec verba sunt: „*mox inter Quaesturam ac Tribunatum plebis, atque etiam ipsum Tribunatus annum, quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem Praeturae tenor et silentium.*“

Haec Tacitus. Sed quod magis etiam miratus sum, ipse Walchius provocat ad Masson. vit. Plin. p. 56 multa Tribunorum exempla afferentis, qui statim post Tribunatus tempus exactum Praetores facti sint. Ultimum vero argumentum, a Walchio allatum, ipsum per se corruit; non enim 23mo, ut ei placet, sed 24 — 25. vitae suae anno Quaesturam gessisse Agricola, ex his, quae supra commemoravimus, satis liquet.

Haec vero omnia non in eam sententiam dixi, ut ostenderem, quam Walchius probavit tertium in primum emendationem, omnino falsam esse: immo id solum specto, ut demon-

strem, quod statim ab initio posui, rem esse, quae in utramque partem disputari possit, nec tamen unquam dijudicari.

Nihil metus in vultu, gratia oris supererat.

Ex interpretibus non liquet, unde lectio *metus* profecta sit. Sed si vel codices eam praebent, ab aliena manu profectam esse putaverim. Elegantiores eandemque veriores exhibet uterque Vaticanus, quorum in altero (3429) *impetum* legitur, in altero vero (4498) *nihil metus et impetus* utrumque conjungitur. Ut res se habet, quid sibi velit metus ille, non perspicio. Et quibus Ernestius Walchiusque meliorem lectionem oppugnant, speciosiora esse quam veriora videntur. Nam ut *metum* sensu activo apud scriptores Latinos absolute positum reperiri cuilibet persuadeat Walchius, maximopere vereor *). Male etiam usus esse mi-

*) Nihil enim aliud probat Quintiliani locus Inst. Orat. 6, 2, 21, a. Dronkio laudatus (*Et metum tamen duplicem intelligi volo, quem patimur et quem facimus*) quam id, quod nos etiam libenter ei dabimus metum activum habere sensum, ubi vel Genitivus *objectivus* vel Particula aliqua, quae activam

hi videtur vir doctissimus Aeschyli et Ovidii locis, cum Graecorum βίαν revera utrumque habere sensum et scriptorum locis plurimis comprobari possit et consentaneum sit; Latinorum vero *minae* significatu passivo apud scriptores anquirentibus nobis haud facile occurrant. Quis igitur ille metus, quem in Agricolae vultu fuisse viri doctissimi voluerunt? Certe non ille, quem futuri mali esse, ut *aegritudinem* praesentis, censuit Cicero Tusc. IV, 30. Quod ad aliam lectionem *impetus*, attinet, impetum in vultu esse non posse, haud facile, puto, probabitur. Nam, si *vultus securitatem* Tac. Ann. XV, 55, *vultum attonitum* H. 1, 40, *laetitiam gratulationemque prae se ferentem* H. II. 65. quid? si apud Aesch. Eum. 54 δυσφιλῆ βίαν, ex oculis manantem, apud Ovid. Met. II, 857. *vultum pacem habentem* invenias: cur non a ποιητικωτάτω Tacito *impetum in vultu* dici posse concedas?

Restat, ut eos, qui forte in eo haesitent, quid sibi *nihil impetus in vultu* velit, ad Ernestium amandem, qui recte ἀταραξίαν perpetuam et tranquillitatem vultus eo significari monuit. Unum addiderim: vultum, cui nullus impetus insit,

ei impertiat vim, adest. Ita: *metus Pompeji. revertentis ex Asia*; sive: *in metum.*

eundem esse, atque qui apud Ovidium pacem habeat.

Nam sicuti magnae cujusdam felicitatis est, durare in hac beatissimi saeculi luce, ac Principem Trajanum videre, quod augurio quodam votisque apud nostras aures ominabatur: ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo, etc. *).

Sententiarum nexum nisi neglexissent in hoc loco interpretes, certe non delevissent: quod, ut Rhenanus, Lipsius, Gronovius, Walchius, alii. Hic enim, ut assolet, duas sententias sibi oppositas inter se componit Tacitus atque confert. Sunt vero, quibus haec tota periodus comprehenditur ad explicanda ea, quibus prior periodus clauditur, addita. *Potest, inquit etiam beatus videri Agricola, quod incolumi,*

*) Walchius legit: *Nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce, ac Principem Trajanum videre augurio votisque etc.* Dronkius: *Nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce, etc. quod augurio votisque apud aures nostras ominabatur.*

dignitates, florente fama, salvis adfinitatibus et amicitis futura effugisset. Tum, ut probet haec, quid e morte redundaverit in eum emolumentum, quid inde jacturae fecerit, inter se confert, perpendit atque monstrat, illud, quod contraxerit morte sua damnum, non attigisse eum tempora feliciora, quae ominaretur, cumulatis- sime compensatum esse eo solatio, quod non vidisset tempus, quo maxime increvisset Domitiani saevitia. Haec praecipua sunt loci fundamenta; reliqua, quae addita sunt: „*quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur*“ his modo amplificandis inserviunt. Ita, monstrato sententiarum nexu atque ordine, luce clarius apparet, ad verba *durare* atque *videre* supplendum aliquid esse, ex quo illa pendeant. Id vero suppeditat Ernestiana emendatio: „*nam sicuti beatissimum durare in hac saeculi luce ad principem Trajanum videre; quod augurio, etc.*“ Ita, quae Rhenano, et qui hunc sequuntur, praecipua sunt atque primaria: *augurio votisque apud nostras aures ominabatur*, orationis, quem vocant, contextu, Ernestio duce constituto, modo intercalaria erunt atque secundaria. Tum, qui Walchianae lectionis sensus est, et historiae repugnat, et ipse per se nullam verisimilitudinem habet. Unde enim Agricolae illa vaticinandi facultas, ut ante septem annos

providere posset, juvenem obscurum, turbae tum immixtum, salvo Domitiano, Romani imperii aliquando principem fore atque dominum? Et, si id Walchio dabimus, quod ut demus nulla ratione idonea adduci possumus, tamen id haud prius quam Trajanus Consul factus esset, fastaque omnia portendissent: *et τὴν αὐτοκρατορίαν ἀρχὴν*, locum habuisse vix quisquam credat. Illud véro, quod additum est: *apud aures nostras*, etc. ita misere rem pròdit, ut nulla dubitatio esse possit, quin illa Agricolae ominatio cadat ante illud tempus, quo cum uxore sua Roma cessisset Tacitus. Cum vero anno ante Trajani Consulatum Tacitum reliquisse Romam nobis compertum sit, quamvis de his Romae temporibus, quod Walchius aegre fert, nostra notitia perexigua sit, tamen id certum erit, hoc tempore, quo Trajanus Consul factus erat, vel postea ominationem illam locum habere non potuisse. — Quod porro Ernestius volebat, haud refragante Walchio, Tacitum permulcere voluisse Principis aures adulatione atque blanditia, illud ne concedamus vetat, quod *augurio* junctum est: *volisque ominabatur*. Non enim callida haec esset adulatio, sed pinguis atque humilis, Tacitoque indigna, si scripsisset, Agricolam ante septem annos, et quod excurrit, optasse ut Trajanus Princeps fieret, de quo, sal-

vo Domitiano, Trajano vero juvene, ne cogitare quidem posset. At, si Ernestio duce constituamus locum, *quod non ad durare, neque ad videre* pertinebit, quae e proprio animo addidit auctor, sed *ad beatissimum est.* Id enim facile non modò optare poterat Agricola, ut post saevam Tyrannorum dominationem laetiora aliquando insequerentur tempora, sed etiam ominari.

Ceterum Ernestianae huic emendationi, quamquam lenissima est, praetulerim equidem lectionem Cod. Ursini:

Nam sicuti magnae cujusdam felicitatis esse, durare in hac beatissimi saeculi luce, etc.

Quam cur neglexerint editores, non perspicio. Hic enim ut alibi etiam contextus, quem vocant, integritatem contra ceteros tuetur Ursini codex. *Contra ceteros dico et alibi:* quod, ne vanum omnino esse videatur, pauca hic exempla addere libet. Cap. 3. Omnium proxime ad veram lectionem, conjectura restitutam: *prioris servitutis* Urs. C. accedit, qui exhibet: *prioris senectutis*, cum ceteri *prioribus* habeant. C. G. Cod. Urs. in *factationem*, (quod perperam in Ablativum mutaverunt interpretes,

Cf. Walch.,) cum Puteolanus exhibeat: *jactationem*. C. 19. Urs. C: *non peccatueros praepone*, ceteris omittentibus verbum. C. 33. *Militem adhuc accendendum ratus*, cum ceteri *militem adhuc ratus* habeant, unde emend. Gronovius: *adhortaturus*. Frustra, Tutius esset, ex Ursiniana lectione, leni emendatione loco salutem petere. Legendum puto: *militem adhuc accendendum ratus*. C. 43 C. U. pariter atque Venetus: *in nullum rei publicae usum*, cum ceteri exhibeant: *in nullum reipost usum* c. 45. C. U: *Nos Maurici Rusticique divisimus*, unde Ursinus: *nos Mauricum Rusticumque divisimus*. Quae lectio omnium, quotquot sunt, certe maxime tolerabilis est. C. 46. Licet corruptam lectionem servet Urs. C., tamen haud meliora afferunt ceteri. Haec fere sunt, quae ex Ursiniano codice ab editoribus afferri solent, ex quibus nequaquam probari potest, codicis hujus auctoritatem minimam esse. Quare Walchio cum Puteolano inferiorem censenti refragor, quamque loco nostro lectionem exhibet, tueor; nisi quod legendum esse puto: *quod augurio quodam*, Pronomine, rem paullulum deliciente, addito.


THESES DEFENDENDAE.

1. In Orchomenia inscriptione et Coreyraeo lapide v. 1586 (Cf. Boeckhii Corp. Inscr.) tragoediae lyricae nullam mentionem factam esse contendo.

2. Opiniones Buttmanniana et Niebuhriana de insigni Curtii loco X, 10, qui vitae hujus scriptoris unicus fons est, falsae sunt.

3. Sacrorum instaurationem, a Luthero susceptam, illi, quam orientalis cultus apud Hellenes expertus erat, mutationi *ἀνάλογον* esse contendo.

4. Singulorum populorum vitam, ut singulorum hominum, aetatibus con-



stare, quae iisdem manifestentur phaenomenis, arbitror.

5. Idea, quae antiquorum historiae suberat, longe angustioribus circumscripta fuit finibus, quam ea, quae historiae recentiorum subest.

6. Fabulae, quibus antiquissima Romanorum historia tota fere constat, non Graecorum ingenio originem debent, sed in Latino prognatae sunt solo.

7. Bernhardyus eam, quae ab Augusti obitu decurrit, litterarum Romanarum periodum justo pluris aestimat.